diximus, valde huic loco servire possunt.

Secunda hæresis est, quæ docet hominem post divinam gratiam deperditam, non posse aliud facere quam peccatum. Hujus hæresis auctor est etiam Lutherus dicens, quod arbitrium hominis destitutum gratia Dei, quanto magis nititur tanto gravius peccat. Hæc hæresis ex his quæ nunc proxime docuimus prosternitur: quoniam si hominis arbitrium ex se & ex sua conditione liberum est, non potest per quodcumque adveniens peccatum suam libertatem amittere, & per consequens etiam cum in peccato fuerit, poterit, sicut peccare, ita & peccatum vitare, & bonum opus, quamvis non meritorium, operari. Hoc etiam specialiter convincunt quædam testimonia ex illis quæ supra posuimus, ut est illud: (*Joan.* 1.) *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Nam hæc potestas, ut diximus, magis videtur esse collata peccatoribus quam justis: quoniam justi per gratiam quam habent, jam sunt filii Dei, nec est ejus opus ut iterum fiant filii Dei. Et illud Apocalypsis cap. 2. ubi de Jezabele Deus ait: *Dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret.* Frustra datur illi tempus, si illa pœnitere non potest. Præterea frequentissimæ sunt in sacra scriptura monitiones, quibus peccatores exhortantur ad pœnitentiam præteritorum. *Convertimini*, inquit Dominus, (*Ezec.* 18.) *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et per alium Prophetam iterum ait: (*Joel.* 2.) *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et ipsemet Salvator ait: (*Matth.* 3.) *Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cœlorum.* Frustra autem monentur ad pœnitentiam peccatores, si nihil aliud quam peccare possunt. Hæc hæresis damnata est in Concilio Tridentino sub Paulo tertio celebrato, quod inter multos quos sessione sexta ædidit canones, septimum contra hanc hæresim condidit in hac verborum forma. Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quæcumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantum eum gravius peccare: anathema sit.

Tertia hæresis docet liberum arbitrium post receptam baptismatis gratiam non posse amplius peccare. Hanc hæresim primus docuit Jovinianus monachus. Illam etiam impingit Augustinus in libro de hæresibus Pelagio. Sed de hac hæresi jam supra disputavimus in titulo De gratia, hæresi secunda: & ex his quæ nunc proxime adversus primam hujus tituli hæresim diximus, satis aperte convincitur, quoniam sicut peccatum non tollit arbitrii libertatem, ita nec gratia, quoniam libertas est naturaliter insita humano arbitrio, ita ut per nullum superveniens accidens tolli possit. Quo fit, ut sicut in peccato existens propter suæ libertatis potestatem poterat aliud peccatum vitare, ita in gratia existens propter eamdem arbitrii libertatem possit aliqua in posterum peccata comittere. Et ita factum esse, urgentissimis testimoniis comprobabimus supra in titulo De gratia, hæresi secunda.

LINGUA.

PHilaster in suo libro de hæresibus censet esse hæresim dicere quod ante Babel ædificationem fuerit solum una lingua: quoniam (ut ille ait) firmiter credendum est plures ante illud tempus fuisse linguas, quas tamen indito quodam á Deo spiritu omnes usque ad illud tempus callebant. Quod autem scriptura dicit, (*Genes.* 11.) *terram fuisse unius labii*, ideo dictum putat, quia & si plura essent genera linguarum, omnes tamen se invicem intelligebant: quia (ut ait) omnibus erant omnes linguæ notæ. Ego autem ab hac Philastri sententia tam longe abfum, ut putem hæresim esse quod ille docet. Nam scriptura sacra tam aperte dicit unicam tantum fuisse linguam, ut nihil manifestius dici possit. *Erat*, inquit, *terra labiis unius.* Si varietas linguarum erat in terra, non diceretur vere terram esse labii unius, quamvis quilibet homo omnes linguas sciret. Nam etsi Italus intelligat Hispanum, & Hispanus viceversa intelligat Italum, nullus tamen sanæ mentis negavit vanam esse illorum linguam. Nullus etiam dicet unicam esse amborum linguam, cum sit cuique illorum propria lingua. Intelligentia siquidem linguarum non valet efficere ut duæ aut tres linguæ una dicantur. Quo fit ut quamvis omnes se mutuo intelligerent, non possit dici terram fuisse unius labii, si varietas linguarum erat. Præterea illa linguarum varietas superflua erat, si omnium linguas omnes callebant. Lingua enim ad id solum inventa est, ut per illam nostros conceptus manifestemus: quoniam (ut beatus Augustinus decimoquinto libro de Trinitate ait): „ verbum quod foris sonat, „ signum est ejus verbi quod intus latet. " Si ergo lingua una satis omnibus erat, ut suos quisque animi conceptus & affectus aliis innotescere faceret, quid opus erat iot superaddere linguas? Nunc autem post illud superbiæ peccatum quod in Babelis ædificatione monstratum est, non potest dici inanis & superflua hæc linguarum multitudo: quoniam ad retundendam illorum superbiam inducta est á Deo, & usque hodie ad nostram etiam reprimendam superbiam servata. Deinde scriptura sacra dicit, tunc primum cum Babel ædificari cœpit, confusum esse labium universæ terræ. Quid est dicere labium tunc primum esse confusum, nisi quod tunc est primo divisum, & multiplex variumque factum? Nam ubi unitas est, ibi confusio esse non potest: ubi autem multitudo, ibi est & confusio. Sed ante Babelis ædificationem non erat confusum labium universæ terræ: ergo ante illud tempus non erat varium aut multiplex, sed unicum dumtaxat. Rursum hanc nostram sententiam docent omnes sacri doctores qui de hac re scripserunt: neque unus est ex illis qui Philastri sententiæ faveat. Beatus Augustinus in libro de mirabilibus sacræ scripturæ capite nono, sic ait: „ Cum ad „ illud usque tempus esset unius linguæ cunctus populus universorum qui ad tale opus venerant, linguas in „ diversa verba divisit, scilicet ut rectissimo arbitrii judi„ cio, qui alto superbiæ tumore membra contempserat, „ in fragilissimæ substantiæ suæ modo sermonis utique „ pœnam sentiret. Et hoc non ipsis tantum patribus quod „ evenerat, fiebat: sed per omnes filiorum propagines ta„ lis vindictæ conditio pertransibat: ut qui æternam sibi „ posteritatis famam quærerent, mansuram in illis poste„ ritatibus ipsius præsumptionis per universa venturi sæ„ culi tempora animadversionem invenirent. " Hactenus Augustinus. Ex quibus verbis id potissimum annotandum est, quod in principio dixit, linguas in diversa verba fuisse divisas, & non (ut Philaster ait) in diversam linguarum præexistentium notitiam. Eucherius Lugdunensis Episcopus libro secundo super Genesim capite septimo, ita ait: „ Eo autem tempore quando linguarum facta est „ varietas, in sola domo Heber quæ antea fuit, lingua „ remansit. " Eucherius. Ex quibus verbis aperte satis constat illum sentire unam solam tunc fuisse linguam, videlicet Hebraicam. Neque pro hac re opus est plura citare testimonia, sed unum solum, quod maximi est ponderis,

ris, proferam, nempe Sybillinum. Nam Josephus libro primo Antiquitatum capite nono, hæc quæ sequuntur verba, Sibyllam dixisse refert. Cum omnes homines unius vocis existerent, quidam turrim ædificaverunt excelsam, tamquam ascensuri per eam in cœlum. Dii vero immittentes ventos, everterunt turrim, & vocem propriam uniuique partiti sunt: & propterea Babyloniam vocari contigit civitatem. Hæc Sybilla. In quibus verbis annotare oportet quod dixit, vocem propriam cuique esse partitam: & non dixit esse unicuique datam propriam antiquæ vocis cognitionem. Firmiter ergo credendum est unam solum ante Babel ædificationem fuisse linguam. Philaster autem ex prava scripturæ intelligentia deceptus est. Nam antequam de hujus turris ædificatione scriptura loqui inciperet, cum septem filios Japheth per ordinem recensere, hæc dixit: (*Genes.* 10.) *Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam, & familias suas.* Quæ verba non intelligens Philaster esse per anticipationem dicta, putavit jam tunc fuisse plures linguas antequam Babel ædificaretur. Oportebat tamen illum meminisse sacræ scripturæ morem esse aliqua per anticipationem narrare, ut scilicet antequam facta fuerint, quodammodo & perfunctorie narrentur, ut postea suo ordine res quæque gesta largius describatur. Hæc enim una est & non minima ex Ticonii regulis pro sacræ scripturæ intelligentia, quas beatus Augustinus in libro De Doctrina Christiana impense laudat. Superius enim sacra scriptura per anticipationem dixerat unumquemque populum suam linguam habuisse, nec tamen dixerat quo pacto, sed pertransiit ad aliorum filiorum Noe progeniem describendam: deinde vero ad id quod omiserat rediens, narrat quomodo vel ob quam causam divisio vel confusio linguarum multarum facta fuerit, & dicit: (*Genes.* 1.) *Erat autem terra labii unius, &c.* Et hunc esse verum literæ sensum, docet beatus Augustinus lib. 16. de Civitate Dei, cap. 4. sic inquiens: „ Cum ergo in suis linguis „ istæ gentes fuisse referantur, redit tamen ad illud tem„ pus narrator, quando una lingua omnium fuit: & in„ de jam exponit quid acciderit ut linguarum diversitas „ nasceretur: Et erat, inquit, omnis terra labium unum: „ & vox una omnibus. " Hæc Augustinus. Et quidem pro hac re satis me dixisse arbitror, hoc solo contentus, si prius monuerim lectorem, ut animadvertat quam periculosum sit leviter de hæresi pronuntiare. Nam Philaster vir alioqui doctus, & pro fide Catholica pugnans, cum alios de hæresi notat, ipse in errorem labitur, assertionem vere Catholicam damnans. Nec miror: quoniam (ut est in Proverbio) bonus quandoque dormitat Homerus. Sed neque ipse Philaster (ut beatus Augustinus de illo refert) homo admodum doctus erat: propter quod in suis censuris facilius errare potuit.

FINIS LIBRI NONI.

F. ALFONSI DE CASTRO

ZAMOREN. MINORITÆ.

ADVERSUS HÆRESES.

LIBER DECIMUS.

MALUM ET MALITIA.

UXTA Aristotelis præceptum, omne æquivocum prius est in sua diversa significata patiendum, & postea de eorum quolibet seorsum loquendum. Cum ergo hæc vox malum, aut hæc vox malitia, multa significet in sacris litteris, oportet ut prius quam de ejus significatis loquamur ostendamus multiplicem illius significationem. Est enim multiplex malum, & omne tale adventitium aut accidentale. Nam quod nulla res sit mala ex natura, jam supra contra impium Manichæum Deo auctore evicimus, in titulo De Creatura, hæresi secunda. Malum ergo quod accidit rei, duplex est. Nam quoddam est malum culpæ: aliud est malum pœnæ, quod mea sententia rectius dici posset damnum. Juxta hanc ergo mali partitionem etiam partitæ sunt hæreses quæ de malo loquuntur.

Prima ergo hæresis dicit malum esse à Deo, & Deum facere mala. Hujus hæresis auctor fuit Florinus quidam, á quo Floriani dicti sunt. Hic Florinus fuit tempore Commodi Imperatoris, & Papæ Eleutherii. Florinum in eodem errore imitatus est quidam alius nomine Blastus. Et adversus hos duos hæreticos (ut testatur Eusebius Cæsariensis libro quinto historiæ Ecclesiast. cap. 20.) scripsit beatus Irenæus: ad Blastum de schismate librum unum: ad Florinum de Monarchia, & quod Deus non sit auctor malorum, librum alium. Hunc eumdem errorem postea suscitarunt Seleuciani & Hermiani à Seleuco & Hermia auctoribus sic appellati. Hi dicebant malum aliquando esse á Deo, aliquando á materia. Hunc errorem apertissime damnat ipse veritatis magister, dicens: (*Matth.* 7.) *Non potest arbor bona fructus malos facere.* Aut ergo Deus bonus non est, aut mala producere non potest. At Deus bonus est, immo ille solus bonus est: quoniam ex se & à se bonus est: ergo ille mala facere non potest. Præterea: Paulus Apostolus in ea quæ est ad Romanos epistola cap. 11. ait: *Si radix sancta, & rami.* At nullus vere potest dici sanctus nisi Deus, qui solus est sanctus, sicut & solus Dominus. Nam de hoc duo Seraphin clamabant al-

MARIA VIRGO.

NON est mirum si Deigenitricis honorem hæretici conati sunt minuere, cum etiam ipsius Dei nomen, non sint veriti polluere. Elvidius ergo unus ex his, qui in insipientia sunt deprehensi, asseruit beatam Dei genitricem post Christi nativitatem fuisse carnaliter cogniram à Josepho viro suo. Ad quem errorem docendum motus est ex eo, quod apud Matthæum (*cap.* 17.) dicitur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens.* Et iterum: *Non cognovit eam Joseph, donec peperit filium suum primogenitum.* Ex quibus locis Elvidius colligit Deigenitricem, postquam peperit Christum, esse á Josepho cogniram carnaliter, eamque peperisse filios alios, quos (ut ait) Evangelium appellat fratres Christi. Nam apud Matthæum (*cap.* 1.) dicunt Judæi Christo: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Verum Elvidius ex littera perperam intellecta in hunc errorem lapsus est.

Cujus autem patriæ, aut nationis fuerit, mihi non constat. Hoc solum ex Gennadio agnovi illum fuisse Auxentii discipulum, & Hieronymo coævum.

Hujus hæresis fautores vocati sunt Antidicomaritæ. Hunc errorem impingit, etiam Joviniano Augustinus in libro de hæresibus. Hieronymus tamen qui duobus libris contra Joviniani errores pugnat, numquam hujus meminit. Primo ergo Deigenitricis virginitatem ostendamus: deinde respondebimus Elvidii objectionibus. Ad ostendendam Mariæ Virginitatem perpetuam, etsi scripturæ sacræ locus apertus deficiat, non desunt tamen alia testimonia æque, aut paullo minus efficacia. Ecclesiæ namque auctoritas, non minoris est ponderis, quam sacra scriptura, quoniam sicut sacra scriptura, eo quod á Sancto Spiritu est condita, errare non potest, ita Ecclesia, quoniam á Spiritu Sancto regitur, & docetur, nec fallere, nec falli potest. Ecclesia autem sentit Deigenitricem fuisse perpetuo Virginem, quoniam sic eam ubique terrarum prædicat, ut nomine Virginis intactæ, & intemeratæ semper illam apellet. Præterea concors omnium sacrorum Doctorum sententia (ut supra libro primo docuimus) pro vera fide habenda est, quoniam non esset possibile, ut omnes concorditer sentirent, nisi á Spiritu Sancto uno illorum omnium Doctore, atque rectore fuissent edocti, potissimum cum plures eorum fuerint abinvicem loco, & tempore separati, ita ut nec unus alium noverit, nec illius opera viderit: quapropter fieri non poterat, ut omnes concorditer sentirent, si Spiritus Sanctus communis eorum magister illorum intellectus ad sic sentiendum, non illustrasset. Quod autem omnes sacri Doctores sentiant beatam Deigenitricem fuisse semper Virginem, res est tam aperta, ut non sit opus eorum testimonia impræsentiarum adferre, quoniam vix aliquem librum sermonum ad populum reperies, in quo non sint plurima sacrorum Doctorum pro hac re testimonia. Et hoc non solum sensere Latini, sed idem etiam clamant Græci scriptores. Hoc enim sentit Theophylactus Græcorum recentissimus, idem sæpe clamat Damascenus, idem docet Chrysostomus, idem sentit Basilius, præcipue in quodam sermone de humana Christi generatione. De Origine non est opus dicere, quum in plerisque locis eam prædicet Virginem perpetuam. Beatus Irenæus Lugdunensis Episcopus temporibus Apostolorum valde vicinus, qui fuit discipulus Polycarpi Martyris: is inquam numquam Dei genitricem (quod sciamus) appellat nisi nomine Virginis. Et ut unum è multis locis ostendam, libro tertio, adversus hæres, cap. 23. & sequentibus sæpe illam Virginem appellat. Beatus Ignatius, cujus aliquot exrant epistolæ ad Deiparam Virginem, eam fuisse Virginem sæpissime testatur. Deinde non solum Doctores hoc sentiunt, sed totus populus Christianus Spiritu Sancto impellente in hanc sententiam flectitur. Quid ergo impii hærerici contra omium sacrorum Doctorum, & totius populi consensum docere tentant? Oportet ergo ut (quemadmodum de Ismaele hæreticorum typo dicitur, (*Genes.* 16.) manus omnium Catholicorum contra Elvidium leventur, quia ille manus contra omnes levare tentavit. Omitto hic figuras, & ænigmata in quibus sacra scriptura perpetuam Mariæ Virginitatem prodidit, quoniam hæc (ut in primo libro docuimus) parum valent ad convincendos hæreticos. Rursum si beata Deigenitrix postquam Christum peperit (ut Elvidius ait) cognita est á viro suo, & genuit filios, quare Christus moriens non commendavit eam alicui ex aliis filiis? Injuriam namque fecisse videretur aliis filiis, commendando matrem suam alii quam filio, quoniam per hoc diceretur parum confidisse de filiis, quod debitum matri exhiberent obsequium. At cum ii quos Elvidius asserit fuisse filios Virginis, viri fuerint sanctissimi, credendum est eos solicitam curam acturos pro Deigenitrice, si illorum mater fuisset. Nam (ut de cæteris taceam) Jacobum, qui dictus est frater Domini, constat virum fuisse sanctissimum. Si ergo hic filius fuisset Deigenitricis, non erat opus illam Joanni commendare. (*Joan.* 19.) neque Christus umquam illam Joanni commendasse, quoniam hoc in invidiam aliorum filiorum factum esse videretur. Præterea, in sepulchro Christi, sicut nec ante, ita nec post Christum, quisquam alius positus est. Si ergo corpori Christi defuncti talis exhibitus est honor, ut nullus alius in ejus sepulchro positus fuerit propter illius reverentiam, multo major honor oportet, fuerit ventri Virginis exhibitus, ut nec ante Christum, nec postea ullus hominum ventrem ipsius intraverit, præcipue quod in ea non solum corpus Christi defuncti, ut in sepulchro, in quo solum corpus absque anima, Deitati tamen conjunctum, jacuit, sed totus Christus integer reconditus fuerit. Accedit ad hæc etiam testimonium illud Matthæi, (*cap.* 1.) quod nobis objicit Elvidius. Suo enim ipsius gladio ipsum Elvidium, tamquam alterum Goliath transfigere oportet. Sic enim ait Matthæus: *Non cognovit eam Joseph, donec peperit filium suum primogenitum.* Tunc percontari oporter Elvidium, quare Joseph abstinet á tactu Virginis, usque ad diem partus? Certum est eum non alia de causa abstinuisse, nisi ob reverentiam ejus qui in utero Virginis gestabatur. Audierat namque Joseph Angelum sibi in somnis dicentem: (*Ibidem.*) *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Qui ergo propter Angeli vocem sibi in somno factam abstinet, nonne multo magis abstinebit, eum oculis suis innumera videat miracula, quæ pueri nati majestatem, & divinitatem, & matris dignitatem apertissime ipsi Joseph demonstrabant? Joseph namque videt eam, præter communem aliarum mulierum legem, parientem sine dolore, sine obstetrice, audit multitudinem Angelorum cantantium, & dicentium: *Gloria in altissimis Deo.* Videt pastores clamantes, Magos adorantes. (*Luc.* 2.) Cum hæc ergo, & alia plurima vidit post partum: credendum est tunc magis reveritum fuisse Virginem Deiparam, magisque ab illa abstinuisse, quam ante partum. Nam si prohibentur omnes ne tangant montem,

tem, in quem Moyses, recepturus legem, ascendit, (*Exod.* 19.) eo quod ibi apparuit Dominus, quanto magis erit prohibitum Joseph tangere Virginem gloriosam, quæ est mons ille unde abscissus est lapis sine manibus, Christus Deus noster? (*Daniel.* 2.) Sed jam opus est, ut respondeamus Elvidii objectionibus. Sic enim argumentatur. Matthæus dicit quod antequam convenirent, inventa est in utero habens: sequitur ergo quod postea convenerunt: nam alias non esset inventa antequam convenirent, quoniam vox illa, antequam, videtur dicere quemdam respectum ad sequentia. Huic autem respondemus non ita esse, ut semper illa vox, antequam, dicat respectum, & comparationem ad futura quæ venient, sed ex communi modo loquendi, sæpe dicitur per comparationem ad ea, quæ ventura erant, si alio modo eorum eventus non fuisset prohibitus: ut gratia exempli, si quis vellet aliquid ab alio quopiam petere, & ille alio etiam non petente sponte tribuisset, & si sic non dedisset ille, alius re vera petiturus erat, sed ideo non petiit, quia ille sponte donans prævenit petitionem alterius: tunc si petatur ab illo utrum petit, quod petere decreverat: respondebit quod non; si petatur quare non petit, respondebit, dicens: Quia antequam ego peterem, alius donavit. Et tamen postquam unus donavit, alter non petit. Dicitur tamen esse datum ante petitionem, quia etsi non petiit, petiturus tamen erat nisi alter donando prævenisset petitionem. Neque hunc modum loquendi abhorrent sacræ litteræ. Nam apud Esaiam Prophetam, (*cap.* 65.) Deus ait: *Antequam clamant, ego exaudiam.* Quia enim multa concedit Deus nobis non petentibus, dicitur exaudire nos antequam clamemus. Et tamen ibi illa vox, antequam, non dicit respectum ad futura, quoniam nullus clamat, postquam exauditus est. Nullus enim adeo demens est, ut petat id quod jam sibi donatum est. Ad hunc modum dicitur in Matthæo, quod antequam convenirent, inventa est in utero habens, quia etsi postquam inventa est, numquam convenerint, tamen forte Joseph voluisset coire, cum ea, nisi prius ab Angelo fuisset admonitus, de admirabili Virginis imprægnatione. Secundo objicit Elvidius illud Matthæi, (*cap.* 1.) quod de Joseph ait: *Non cognovit eam, donec peperi filium suum primogenitum.* Si non cognovit eam (inquit Elvidius) donec peperit: ergo postquam peperit, cognovit eam: nam alias non posuisset terminum dicens, donec peperit, sed absolute dixisset, non cognovit eam. Huic objectioni etiam respondemus falsum esse, quod ait adverbium illud, videlicet donec, significare terminum, & finem actus designati per verbum cui additur, ita ut post talem finem jam postea, non sit tale opus, aut operatio per verbum cui additur, designata. Sed dicimus quod talia adverbia, videlicet, donec, usque, & similia si qua sunt, solum significant continuationem actus per verbum, cui adduntur, designati, nullo habitu respectu ad futura, sive ille idem actus postea succedat, sive non. Si enim de Petro, qui ex Hispania, usque in Flandriam recessit, quæratur, quo ivit Petrus? Vere quisque respondere potest, quod ivit usque Lutetiam: aut usque Burdegaliam, aut usque Bajonam, etiam si ultra hæc oppida progressus fuerit. Et hic modus loquendi frequens est in sacris litteris. In Esaia namque sic loquitur Deus: (*cap.* 45.) *Usque ad senectam ego portabo eos.* Et tamen postquam senuerimus, non minus portabit nos. Et in Psalmo 70. *Usque in senectam, & senium Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.* Ecce ibi vides posita ambo adverbia, videlicet usque, donec, & tamen post illa tempora non petit David derelinqui. Et apud Matthæum, (*cap. ult.*) ait Christus: *Ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi.* Ex quibus verbis juxta Elvidii interpretationem oporteret colligere, quod consummato sæculo Christus non erit nobiscum. Absit tamen, ut in talem errorem ullus labatur. De corvo, quem misit Noe ab arca, dicitur quod non revertebatur donec siccarentur aquæ, (*Genes.* 13.) qui tamen numquam postea fuit reversus, etiam siccatis aquis. Et in Psalmo 122. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.* Numquid postquam Deus misertus fuerit nostri, non amplius levabimus oculos nostros ad Deum? Absit, quoniam qui hoc dixit, alibi ait: (*Psalm.* 16.) *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Et iterum: (*Psalm.* 118.) *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est.* Et beatus Paulus de Christo loquens, (1. *Cor.* 15.) ait: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum.* Quid ad hæc dicit Elvidius? Numquid postquam Christus posuerit inimicos suos sub pedibus suis, amplius non regnabit? Absit. *Regni enim ejus* (inquit Angelus (*Luc.* 1.) *non erit finis.* Sed jam alia via invadere tentat Elvidius. Si Christus (inquit ille) primogenitus Virginis: ergo alios habuit deinde filios, ad quorum comparationem Christus dicitur primogenitus. Et in hac parte etiam hallucinatur Elvidius, quoniam non semper hæc vox primum, aut primogenitum dicitur per comparationem ad secundum, aut tertium sequens, sed etiam id quod solum est, dicitur aliquando in sacris litteris primum, aliquando primogenitum. Quæ duo simul uno contextu in libro Numerorum (*cap.* 18.) reperiuntur. Sic enim ibi Dominus Sacerdotibus dicit: *Quicquid primum erumpit è vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive ex peccatoribus fuerit, tui juris erit, ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias*, &c. Ecce audis uno contextu vocari primum, & primogenitum, etiam id quod solum est. Nam alias qui solum unum filium habebat, non teneretur illum offerre Deo, & redimere quousque alium haberet ad quem relatus diceretur primus. Hoc autem convincitur esse falsum, quoniam beata Dei genitrix cum filium suum obtulit Domino in manibus Simeonis, juxta legem fecit, ut Lucas testatur. (*cap.* 2.) At tunc temporis beatam Dei genitricem nullum alium habuisse filium præter Christum, Evangelium Matthæi testatur, & Elvidius fatetur. Colligitur ergo ut Christus primogenitus beatæ Virginis merito dici possit, etiam si nullum alium filium habuerit. Quod autem dicitur in Evangelio Christum habuisse fratres, parum movet, quia solemne est in sacris litteris fratres appellari eos, qui aliqua consanguinitate conjuncti sunt, quamvis non sint ex eisdem parentibus geniti, ut Loth vocatur frater Abraham, (*Genes.* 13.) quem tamen eadem scriptura testatur fuisse filium fratris Abrahæ. Cum ergo ea quæ Elvidius objicit, nullius sint momenti, & Ecclesiæ auctoritas tanta sit, ut illius definitionibus credere teneamur, fateri necesse est beatam Dei genitricem fuisse perpetuo Virginem, quoniam sic Ecclesia docet. Contra Elvidium scripsit beatus Hieronymus singularem tractatum. Beatus Alfonsus Archiepiscopus Toletanus ducentis annis, & eo amplius Hieronymo posterior, scripsit de eadem re adversus quosdam hæreticos, qui hanc Elvidii hæresim in Hispania suscitare conati sunt. Hugo de Sancto Victore ædidit li-

ter ad alterum. (*Esa. 6.*) *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Si ergo Deus Sanctus, qui fit ut rami ab eo procedentes mali sint ? Non enim fallitur Apostolus, dicens: *Si radix sancta & rami.* Rursum: Si Deus est causa malorum, aut malorum quæ á natura sunt mala, aut aliorum malorum quæ sunt contraria justitiæ & rectitudini, quæ alio nomine vocantur vitia & peccata. Mala ex sua natura nulla esse, superius in titulo de Creatura contra Manichæum ostendimus. Quod si nihil est à natura malum, & Deus (ut Florinus ait) est auctor malorum, necesse est ut sit auctor vitiorum & peccatorum nostrorum, & per consequens perditionis nostræ. Verum huic sententiæ ipsemet contradicit, qui per Prophetam Oseam cap. 13. ait: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Et certe si Deus esset causa nostrorum malorum nimis injustus esset, si nos puniret propter mala quæ ipse operatus est. At cum Deus puniat peccatores, & justissime hoc faciat, quia justus est, & injuste nihil agere potest, convincitur inde apertissime illum non esse causam nostrorum malorum. Sed hic quispiam fortasse objiciet nobis illud Apostoli: (*Rom. 9.*) *O homo, tu qui es qui respondeas Deo? Numquid dicet figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ex quibus verbis forte alicui videbitur, Paulum asserere mala esse á Deo, cum dicat Deum fecisse aliqua vasa in contumeliam. Sed hoc non ita se habet. Pro cujus clariori intelligentia id prius admonere oportet, solemne esse in sacris litteris permissionem Dei actionem illius vocare, ita ut illa quæ Deus permittit, eumdem agere dicat. *Ego* (inquit Deus *Exod. 4.*) *indurabo cor Pharaonis.* Tunc enim Deus peccatorum corda obdurat, cum illos pro magnitudine suæ bonitatis tolerat, non eos statim puniens, sed expectans ad pœnitentiam, propter cujus benignitatem & patientiam, qua peccatores abutuntur, illi redduntur quotidie pejores quemadmodum Dominus habens servum improbum, quem humaniter & benigne tractans facit deteriorem, non quidem quod Dominus servum malitia imbuat, sed quod servus abusus sit Domini benignitate ad augendam suam malitiam.

Indurare ergo dicitur Deus Pharaonem, quia permittit illum indurari. Sic enim intelligendum est illud quod Dominus per Ezechielem Prophetam cap. 14. ait: Loquens de Propheta respondente peccatori interroganti in malitia sua: *Ego decipiam* (inquit) *Prophetam illum.* Decipiet quidem, non quod notitiam fallacem in eo causet, sed quia permittet illum decipi, & hoc propter malitiam ipsius interrogantis. Unde ipse Dominus subjungit, dicens: *Juxta iniquitatem interrogantis, iniquitas Prophetæ erit.* Ad eumdem modum etiam intelligendum est illud dictum Pauli Apostoli proxime citatum, quo ait, Deum facere alia vasa in honorem, alia in contumeliam. Facit enim Deus omnia quantum ad eorum substantiam, juxta illorum autem bonitatem & malitiam vario modo se habet. Nam illorum bonitatem facit Deus cum libero illorum arbitrio, quod simul cum Deo operatur. Illorum vero malitiam Deus non operatur, sed solum illorum liberum arbitrium. Deus ergo dicitur facere vasa in ignominiam, non quod ipse fecerit illa ignominiosa, sed quia postquam Deus fecit vasa, id est, homines quantum ad eorum substantiam, illi Deo permittente lapsi sunt in ignominiam. Sic igitur accipiendum est, cum dicitur Deum facere vasa in contumeliam, ut facere ibidem capiatur pro eo quod est permittere, sicut & in aliis pluribus scripturæ locis factum esse comperimus. Et de hac hæresi hæc dicta sufficiant.

Secunda hæresis docet aliquas esse creaturas ex se malas, & has dicit esse productas non á Deo summo bono, sed á quodam alio principio omnium malorum, quod dicit esse summum malum. Hæc hæresis tribuitur Manichæo velut primo illius auctori, & hoc quia forte ab illo magis innotuit, aut forte quia magis sub illo prævaluit ut plures deciperet. Nam alioqui injuste hæc hæresis tribueretur Manichæo velut illius parenti, cum multo vetustior sit illius origo. Cerdon siquidem (ut ait Augustinus in libro de hæresibus capite vigesimoprimo testatur) duo posuit principia rerum, unum bonum à quo bona, aliud malum á quo cuncta mala procedere dicebat. Ante Cerdonem docuerunt etiam hunc errorem ii hæretici qui vocati sunt Gnostici. Hoc enim illis tribuit Augustinus in libro de hæresibus capite sexto. Manichæus ergo dixit duo esse principia, unum bonum à quo producta sunt bona, videlicet invisibilia, & incorporea, prout sunt supercœlestes & angelicæ substantiæ, & animæ rationales. Alterum malum, à quo (ut dicit producta sunt omnia mala, & hæc dicit esse omnia corporea & visibilia. Contra hanc hæresim pluribus in locis jam supra disputavimus. Nam in titulo de creatura, hæresi prima, ostendimus omnes creaturas esse productas ab uno Deo. Et hæresi secunda ejusdem tituli probavimus ex sacris litteris adversus eumdem Manichæum omnes creaturas esse bonas. Et in titulo de Deo, hæresi prima, convincimus apertissime ex sacris litteris unum esse Deum, qui vetus & novum condidit testamentum. Ad illa ergo loca recurrat lector, quoniam ex illis satis aperte hæc hæresis prosternitur. Et si lector curiosus plura de hac re nosse cupit, petat ab Augustino, qui sæpissime adversus hanc hæresim disputat. In libro de libero arbitrio ostendit malum nullum esse ex sua natura, nec á Deo, sed á nostro libero arbitrio. Hoc idem probat latissime & efficacissime in libro secundo de moribus Ecclesiæ. In disputatione quam habuit cum Fortunato Manichæo de eadem re tractatur. In libro de duabus animabus eamdem rem agit.

Tertia hæresis negat Deum facere aliquod malum, qualecumque illud fuerit. Hujus hæresis auctor (ut testantur Philaster & Augustinus) fuit quidam Colutus Ægyptius, à quo dicti sunt Coluthiani. Et quamvis Aug. de his Coluthianis scribens in libro de hæresibus capite sexagesimo quinto subticuit patriam Coluthi illorum auctoris: tamen Philaster expressit in suo libro de hæresibus.

Nullus tamen illorum prodidit quo tempore ille fuerit: neque apud aliquem alium invenire potui.

Hæc sententia ideo de hæresi notatur, quoniam afflictiones & angustiæ mala vocantur in sacra scriptura, non quod ex se mala sint, sed quod sint aut videantur mala tolerantibus. Nocent certe aliqua ex parte afflictiones & cruciatus illis quibus infliguntur: ex alia tamen parte prosunt, cum per illorum patientiam mali emendentur, & boni meliores fiant. Quia ergo generali sententia Coluthus asserebat Deum non esse alicujus mali factorem, ideo velut hæreticus damnatur, & merito, quoniam constat ex sacris litteris afflictionem infligi à Deo, & hanc vocari malum. Nam per Esaiam Prophetam cap. 45. Dominus ait: *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* Malum hic dixit bellum, non quod per se malum sit, sed quod malum sit illis qui sustinent: malum quidem, quia nocivum. Quod autem nomine mali ibi intelligat bellum, convincitur ex litteræ decursu, in qua est quædam contrariorum op-

oppositio. Sicut enim tenebræ contrariæ sunt luci, sic etiam paci bellum. Ergo cum paci opposuit malum, convincitur ut malum sit bellum. Præterea, per Hieremiam Prophetam cap. 11. hoc idem expressius Deus ostendit, sic dicens populo Judæorum: *Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt.* Et quod mala ibi dixerit afflictiones, convincit id quod sequitur: *Clamabunt* (inquit) *ad me, & non exaudiam eos, & ibunt civitates Juda, & habitatores Hierusalem, & clamabunt ad Deos quibus libant, & non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum.* Ecce apertissime afflictiones dictas esse mala quædam, quæ Dominus minatur se inducturum super civitates Juda, à quibus dicit eas non posse salvari per auxilium Deorum quibus libabant. Rursum, Jonas Propheta cap. 8. describens qualiter Ninivitæ ad ejus prædicationem pœnituerint, ait: *Et vidit Deus opera eorum quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.* Deinde, ipse veritatis magister prohibens solicitudinem in crastinum, ait (*Matth. 6.*) *Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.* Hoc est, sufficit cuique diei ut pro necessariis ad illum diem, tribulationem & angustiam toleret. Demum, apud Amos Prophetam cap. 3. dicitur: *Non est malum in civitate quod Dominus non fecerit.* Per quæ verba innuere voluit nullam esse tribulationem aut angustiam quæ non veniat á Domino, illam aut faciente, aut permittente.

Quarta hæresis est quam inter alias Philaster recenset, quæ (ut ille ait) docuit malos reges, aut Pseudoprophetas non á sua venire voluntate, sed á Dei jussione procedere dicit. Sed hujus hæresis nullum indicavit auctorem. Sit tamen quivis hujus sententiæ auctor: constat illam esse à fide Catholica alienam. Nam Hieremias ad Sedechiam regem Juda & ad populum ejus loquens cap. 27. ait: *Subjicite colla vestra sub jugo regis Babylonis, & servite ei, & populo ejus, & vivetis. Quare moriemini tu & populus tuus gladio, & fame, & peste, sicut locutus est Dominus ad gentem quæ servire noluerit regi Babylonis? Nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis: quia mendacium ipsi loquuntur vobis; quia non misi eos, ait Dominus; & ipsi prophetabant in nomine meo mendaciter, ut ejiciant vos, & pereatis tam vos, quam Prophetæ qui vaticinantur vobis.* Hæc Hieremiæ verba tam aperta sunt ad hujus hæresis oppugnationem, ut non sit opus interpretatione: quoniam de Pseudoprophetis loquens dicit Dominus, (*Oseæ 8.*) *quod non miserit eos.* Et de malis regibus per Oseam Prophetam loquens Dominus, ait: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi.* Quibus verbis decem tribubus Deus exprobat quod Hieroboam & succedentes illi reges præter Dei voluntatem reges instituerint, & illi citra Dei consilium dominati sint. (3. *Reg.* 12.) Mali ergo reges non à Deo mittuntur ut mali sint, sed suo ipsorum arbitrio mali fiunt. Verum hic hujus hæresis auctor nobis objicit quod in libris Regum legitur de Achia Propheta Silonite, quod laceravit pallium suum in duodecim sectiones: ac decem quidem dederit Hieroboam, prædixeritque illi, *Rex decem tribuum eris*: & postea dehortans Roboam regem à bello quod parabat facere adversus Israelitas, ut illos ad suum imperium reduceret, dixit Deus: *A me enim factum est verbum hoc*: quibus verbis Deus testatus est, se decem tribuum regnum tradidisse Hieroboam. Ergo ille ex Deo regnavit. Cui objectioni nos respondemus quod multa sunt in sacris litteris quæ à Deo facta esse dicuntur eo quod illa fieri permisit, non quidem quod præcedente Dei consilio & voluntate facta esse credamus, sed ex permissione, ita scilicet quod malignis hominum voluntatibus obstare noluerit, sed illos ex proprio eorum arbitrio agere permiserit. Sic enim accipiendum est quod de gentibus ait Paulus: (*Rom.* 1.) *Tradidit illos Deus* (inquit ille) *in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Tradidit dixit pro eo quod est permisit. Deus enim non est nostrarum culparum auctor: permittit tamen nobis ex nostra sententia agere. Cum autem ab illo dimittimur, in maxima quæque peccata labimur. Sic enim ipse per Prophetam testatur dicens. : (*Psalm.* 80.) *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.* Sic etiam accipiendum est quod de malo propheta, qui populo propter illius iniquitatem datus est, Dominus per Prophetam Ezechielem loquens cap. 41. ait: *Et Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Non est enim verisimile ut Deus qui tam stricte deceptiones & fallacias hominibus prohibuit, ipse decipere velit. Propter quod id quod ait, decipi Prophetam illum, sic accipiendum est, quod illum decipi permisit, nec illum docere voluerit. Sic etiam cum dixit: (3. *Reg.* 12.) *A me factum est verbum hoc*, videlicet, ut Hieroboam decem tribubus imperaret, permissionem divinam intellige. Quando vero dixit: (*Oseæ* 8.) *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi:* sic accipere debes, quod non Dei consilio aut præcepto factum sit. Sed ut ista apertiora sint, admonere decrevi quod duo oporteat considerare in quolibet malo propheta, & in malo rege. Alterum est propria illius nequitia: alterum est quod malus ille existens, aliis prophetet aut regnet. Primum, videlicet regis aut prophetæ culpa, numquam est à Deo. Et si de hoc intelligit hæc sententia quæ docet malos reges aut Propheta esse à Deo, ita ut sentiat istorum peccatum esse á Deo: non solum est hæresis, sed aperta in Deum blasphemia. Alterum est quod cum rex aut propheta ex se, hoc est á suo arbitrio jam malus sit, Deus illum mittit, ut prophetet aut regnet populo alicui malo propter sua peccata. Ille autem sic missus, non à Deo mittitur, ut prophetando decipiat, aut regnando tyrannidem exerceat: sed postquam illum suo arbitrio malum factum Deus mittit ad aliquod bonum, finit illum juxta suam malitiam agere, ut sic populum puniat. Et quidem hoc verum est. *Nam* (ut ait Job cap. 54.) *Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Non facit Deus illum hypocritam: sed cum ille jam sit hypocrita & malus, illum Deus regnare facit propter peccata populi. Et per Esaiam Prophetam cap. 10. Dominus ait: *Væ assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit.* Vide hic qualiter Deus miserit Assur, quamvis ille se à Deo missum non intellexit. Et Apostolus Paulus ait: (2. *Thes.* 2.) *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem errocis, ut credant mendacio: ut judicentur omnes qui non credunt veritati.* Et juxta hunc sensum non est hæresis dicere malos reges á Dei voluntate venire, sicut alias in titulo de potestate dicemus.

MA-

bellum, quemdam de perpetua Virginitate Mariæ.

Secunda est hæresis asserens beatam Virginem Mariam non esse dicendam Dei genitricem, sed tantum hominis cujusdam justi matrem. Dicit enim hæc hæresis in Christo esse duas personas, sicut duas naturas, & unam personam dicit esse Deum solum, & aliam hominem solum: & hujus personæ quam dicit esse hominem solum, dicit beatam Virginem esse matrem. Et ita negat beatam Virginem esse matrem Dei. Hujus erroris auctor fuit Nestorius. Sed de hoc errore jam satis supra dictum est in titulo Christus, hæresi tertia. Ad illud ergo locum recurrat lector, quoniam ibi hujus erroris expugnationem inveniet.

MARTYRIUM.

FUit quidam error quem docuit Basilides, dicens non esse aliquod crimen negare Christum persecutionis tempore. Quapropter dicebat esse dementiam pro hac re pati mortem, cum citra crimen possit Christus negari. Qua sententia homines á martyrio avertebat. Hunc eumdem errorem docuerunt, quidam hæretici dicti Elcesaitæ, quamquam aliter, & propter aliam causam quam Basilides. Nam Basilides (ut de illo ait Philaster) non simpliciter avertebat homines à martyrio, sed solum dicebat non esse tolerandam mortem pro confessione mortis, & crucifixionis Christi. Hoc autem dicebat, quia (ut supra diximus) Basilides negavit Christum fuisse crucifixum, sed Simonem illum Cyrenæum, qui angariatus portavit crucem, dixit fuisse crucifixum pro Christo. Hac igitur de causa ridebat eos, qui mortem patiebantur, ne Christum negarent pro nobis crucifixum, quia dicebat eos pati pro mendacio. Hujus erroris fundamentum jam evertimus, supra in titulo Christus hæresi 7. ideo non est, quod amplius modo adversus eam disputemus. Elcesaitæ vero aliter sentiunt. Dicunt enim ideo non esse peccatum negare Christum persecutionis tempore, quia is qui fixus est in corde suo, etiam si ore negaverit Christum pro necessitate, corde tamen in fide permanet. Quapropter dicunt talem sic ore negantem non peccare, cum Deus magis aspiciat cor, quam linguam. Hæc de Elcesaitis narrat Eusebius lib. 6. hist. Ec. cap. 28. Hæc hæresis apertissimis scripturæ testimoniis convincitur. Sapiens namque ait: (*Sap.* 1.) *Os quod mentitur, occidit animam.* At qui ore negat, corde autem fatetur, mentitur: occidit ergo animam qui ore negat, etiam si corde fateatur. Potius ergo deberet mortem corporis pati confitendo Christum, ne cum negaverit ore, occidat animam, quæ multo melior est corpore. Nam Christus redemptor noster apud Matthæum, (*cap.* 10.) ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius illum timete, qui potest corpus, & animam mittere in gehennam.* Et paucis interjectis concludit idem Salvator, sic inquiens: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram patre meo, qui in Cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram patre meo, qui in Cœlis est.* Præterea ipse veritatis magister ait: (*Matth.* 5.) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Rursum, beatus Paulus dicit (*Rom.* 10.) esse necessariam confessionem oris, sicut fidem cordis. Sic enim ait: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum excitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Deide ipse veritatis magister discipulis suis loquens, ait: (*Act.* 1.) *Eritis mihi testes in omni Hierusalem, & Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Si ergo hi discipuli in persecutione positi Christum negassent ore, etiam si confiterentur corde, fuissent testes mendaces, & falsi. *Testis autem falsus* (ut Sapiens ait (*Prov.* 21.) *peribit.* Nullo ergo modo ob quamlibet persecutionem licet fidem negare ore, quamtumlibet teneatur corde: sed præstat tolerare mortem, quam negare veritatem, ut sit bonus Martyr, hoc est verus testis, & fidelis. Nam hoc est Martyr Græce, quod est Latine testis.

Secunda hæresis est quæ docet eos, qui se pro peccato interimunt, debere Martyres nuncupari, pro eo quod puniunt in se, quod dolent commisisse. Hujus erroris auctor fuit Petilianus quidam Donatista, contra quem extant aliquot Augustini tractatus. Hic error convincitur ex facto Judæ, qui dolens de peccato, quod commiserat, se suspendit. Quod autem dolens de peccato hoc fecerit, Matthæus testatur, qui (*cap.* 27.) ait: *Tunc videns Judas qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Seniorious, dicens: Peccavi, tradens sanguinem Justum.* Judam autem fuisse damnatum nullus Catholicus dubitat, cum tam apertum sit testimonium scripturæ. Propheta namque de Juda, loquens ait: (*Psalm.* 108.) *Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter.* Et quod hæc verba sint de Juda intelligenda, beatus Petrus testatur in ea oratione, quam ad reliquos condiscipulos habuit post Christi in Cœlos ascensionem, loquens de subrogatione alterius in locum Judæ. (*Act.* 1.)

Tertia hæresis est adhuc pestilentior, ne dicam attrocior, quoniam asserit omnes, qui mortem ultronei patiuntur, esse Martyres dicendos, sive talem mortem ab aliis inflictam patiantur, sive eam sibiipsis infligant. Hujus hæresis auctores vocat Augustinus Circuncelliones, libro de hæresibus, cap. 69. dicens eos esse genus hominum agreste, & famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insania, & feritate parcendo. Nam per mortes varias, maxime præcipitiorum, & aquarum, & ignium, seipsos necare consueverunt. Et in istum furorem alios seducunt, ut seipsos occidant: quod si facere alii contemnunt, mortem illis minantur, dicentes hoc modo illos Martyres fieri. Hos hæreticos Philaster vocat Circuitores, quoniam ad hæc facinora perpetranda per diversas partes circumibant.

Quis hujus insanæ hæresis fuerit dux, aut quo tempore cœperit, nec Augustinus, neque Philaster prodiderunt. Augustinus dicit illos pertinere ad Donatistas, & sub illis militare.

Istorum error convincitur apertissime per id quod dicitur in lege Domini: (*Exod.* 20.) *Non occides.* Quibus verbis quælibet hominis occisio prohibetur, præter illam quæ ex præcepto judicis in vindictam malefactorum fit. Si ergo non licet occidere alium, multo minus seipsum. Præterea, qui seipsum interimit, agit contra naturalem omnium hominum inclinationem, non solum contra inclinationem malam, quæ est in natura depravata, sed contra inclinationem naturæ perfectæ. At cum talis inclinatio sit semper recta, qui contra illam agit, convincitur male agere. Quod autem inclinatio ad vitam, sit naturalis homini etiam ante peccatum, patet, quia Christus, in quo peccatum nullum fuit, horrebat mortem, quod non fuisset factum, nisi in eo fuisset naturalis inclinatio ad vitam. Rursum, custos carceris, in quo eran Paulus, & Silas inclusi, videns apertas januas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, existimans fugisse vinctos. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: (*Act.* 16.) *Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus.* Si occidens seipsum esset Martyr censendus, numquam Paulus impedisset custodem carceris ne se occideret. At cum Paulus eum ab occisione avocaverit, voce magna, dicens: *Nihil tibi mali feceris*, convincitur malam esse sui ipsius occisionem, tantum abest ut martyrium dici mereatur. Contra hanc hæresim pugnat idem argumentum, quod adversus proxime enarratam hæresim fecimus. Et cum res sit tam aperta, non est opus plura testimonia citare.

MATRIMONIUM.

QUambis non defuerint, neque nunc desint hæreses quæ matrimonium impetant, nihil tamen nunc de illis dicetur, sed infra in titulo de nuptiis de hujusmodi hæresibus agetur. Usque ad illum enim locum decrevi hanc rem differre, quoniam apud vetustos auctores frequentius est nomen nuptiarum, quam nomen matrimonii, & res quæ ad matrimonium spectant, sub nomine nuptiarum ab illis pertractantur. Rarum certe apud illos est matrimonii nomen, & in sacris litteris etiam frequentius est nomen nuptiarum, quam matrimonii, quamquam hæc vox etiam in sacris litteris sæpe reperiatur.

MELCHISEDECH.

QUidam errore decepti, sacram scripturam minime, ut decebat, intelligentes, dixerunt Melchisedec Sacerdotem qui benedixit Abrahæ revertenti de victoria quinque regum, non fuisse hominem purum, sed fuisse Christum, aut aliam quamdam Dei virtutem. Huic errori faventes vocat Augustinus Melchisedechianos, & ponit eos trigesimoquarto loco inter hæreses, quas in libro de hæresibus recenset. Ex quo evidenter colligitur, librum qui inscribitur de quæstionibus novi, & veteris testamenti, non esse Augustini, quamvis sub ejus nomine circunferatur. Nam præter alia argumenta, quæ ad hoc convincendum adfert Erasmus Rotherodamus, hoc est efficacissimum, quod quæstione 109. multis argumentis iisque valde ineptis nittitur probare, Melchisedech non fuisse hominem purum, sed quamdam Dei, virtutem, videlicet Spiritum Sanctum. Neque hoc in libris retractationum, umquam recantavit, immo nec illius libri in toto illo decursu suarum retractationum, usquam meminit. Cum ergo in libro de hæresibus hanc assertionem censeat hæreticam, non erat tam stupidus Augustinus, ut oppositas secumque pugnantes assertiones doceret. Hæc ideo admonui, ne si forte aliquis in quæstionem illam inciderit, à constantia rectitudinis flectatur, Augustini auctoritate pressus.

Quis autem hujus hæresis princeps fuerit, aut quo tempore cœperit, Augustinus non expressit, neque apud alium invenire potui. Epiphanius tamen in libro de octoginta hæresibus, hæresi 55. dicit Hieracem quemdam insigniter doctum hanc hæresim docuisse, sed non dicit esse ab illo primum inventam. Et idem repetit postea hæresi 67. ubi longiorem de hoc Hierace facit sermonem.

Ut autem ostendamus sententiam hanc esse erroneam, citare oportet ipsam sacram scripturam, quæ de eo loquitur, enarrans victoriam Abrahæ, & qualiter Melchisedech illi obviam exiit. Sic enim ait: (*Gens.* 14.) *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit Cœlum, & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.* Hæc ibi. Nunc ergo hanc litteram discutiamus. Si Melchisedech est Spiritu Sanctus, quomodo dicitur ibi quod erat Rex Salem? Salem namque urbs quædam est in terra Chanaam prope Sichem. Nam in eodem libro Geneseos, (*cap.* 33.) enarrans scriptura qualiter sit reversus Jacob ex Mesopotamia, sic ait: *Transivitque in Salem urbem Schimorum, quæ est in terra Chanaam, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ.* Si ergo Salem civitas est terrestris, qualiter Spiritus Sanctus dicitur esse Rex Salem, cum ille dominetur à mari usque ad mare, & á flumine usque ad terminos orbis terrarum? Potissimum quod eodem decursu scriptura enarrat alios Reges, qui exierunt obviam Abrahæ, videlicet Regem Sodomorum, & Regem Gomorreorum: & istis nominatis, & terris in quibus regnabant explicatis, continuo describitur Melchisedech Rex Salem, neque alterum Imperium illis tribuit scriptura. Numquid divisit Imperium terræ Chanaam Spiritus Sanctus, ut ipse solius Salem Rex sit, & alii sint Reges Sodomorum, & Gomorreorum? Absit. Sui enim sunt Cœli, & sua est terra, orbem terrarum, & plenitudinem ejus ipse fundavit. Quod autem bonus ille auctor illius quæstionis 109. proxime citatæ adfert, quod Salem interpretatur pax, & ita Rex Salem juxta Apostolum (*Hebr.* 7.) interpretatur Rex pacis: Rex autem pacis non est nisi Deus: Melchisedech ergo Deus: inepta satis collectio est, quoniam, ut in 1. hujus operis, lib. cap. 3. docuimus nullus sensus sacræ scripturæ est efficax, ad aliquam assertionem confirmandam, nisi solus sensus litteralis, non autem mysticus. At cum docuimus esse oppidum in terra Chanaam, quod dicitur Salem, ille erit sensus litteralis, quo dicetur Melchisedech esse illius oppidi Regem. Ad hunc enim modum etiam diceret alius Isaac esse Deum, quoniam Isaac interpretatur gaudium: & Hieremias eadem ratione, quoniam Hieremias interpretatur altitudo Dei. At nullus potest vere dici gaudium per essentiam, nisi solus Deus, qui est nostrum gaudium, qui est etiam futurus præmium. Apostolus autem, cum factum Melchisedech dixerat præcessisse in figuram Christi, ut ostenderet merito gessisse Melchisedech figuram Christi, adfer nominis interpretationem, quæ optime convenit Christo. Præterea, in eadem littera dicit, quod erat Sacerdos Dei altissimi. (*Heb.* 11.) At Deus non est Deus Sacerdos: non est ergo Melchisedech Deus. *Omnis namque Pontifex*, ait Paulus, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Aut ergo Spiritus Sanctus non fuit Sacerdos pro hominibus constitutus, aut ex hominibus assumptus est, aut vere tunc fuerit Sacerdos, quemadmodum Christus. Verum ille bonus auctor illius sæpe præfatæ quæstionis, fatetur Spiritum Sanctum in forma humana tunc apparuisse, quemadmodum postea filius Dei. Vide quantis laqueis, quisquis ille est, se implicet, ut errorem hunc no-

nobis persuadeat. Veniat nunc qui contendit illud opus esse Augustini, & dicat utrum Augustinus sentiat, Spiritum Sanctum fuisse incarnatum. Rursum. Si Spiritus Sanctus Sacerdos, & pro hominibus constituitur, ut de omni Sacerdote, ait Paulus, & in forma humana apparuit, ut iste concedit: ergo Spiritus Sanctus mediator fuit Dei, & hominum, quia Deus cum Deo, homo cum hominibus, quemadmodum Christus. Et si hoc fatentur, repugnabunt certe Paulo dicenti: (2. *Tim.* 2.) *Unus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus.* Si Spiritus Sanctus Sacerdos, jam duo sunt mediatores, non unus, ut dicit Paulus. Deinde ipse modus benedictionis, qua benedixit Abrahæ, (*Genes.* 14.) convincit non esse Deum Melchisedech. Sic enim ait: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit Cœlum, & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Si Melchisedech Deus, quare reddidit gratias Deo pro victoria Abrahæ? Numquid sic Christus, ut Deus gratias reddebat pro mirabilibus perpetratis? Cum enim Lazarum resuscitare voluit, sic ait: (*Joann.* 11.) *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti.* Propter populum circumstantem Christus gratias dat, alioqui certe non erat opus, ut Deus daret gratias Deo. Sed quomodo consulitur populo per illam actionem gratiarum? Ut videlicet credant, quod Christus sit missus á patre. At cum Abraham tam fidelis fuerit, ut Deo monenti crediderit statim sine ulla hæsitatione, non erat opus ad illum in fide confirmandum tales gratias, aut benedictiones Deo reddere. Ad hæc. Paulus de hoc Melchisedech loquens dicit, (*Heb.* 7.) quod *assimilatus fuerit per omnia filio Dei.* At omne quod assimilatur alteri, non est ejusdem naturæ individuæ cum illo. Spiritus Sanctus est ejusdem naturæ cum filio Dei: non est ergo Melchisedech Spiritus Sanctus. Numquam enim invenies, quod filius Dei sit similis patri, quamvis bene dicatur imago patris; quoniam imago, ut supra docuimus in titulo de Adam, & Eva hæresi secunda, proprie pertinet ad naturam, similitudo autem ad qualitatem, ita ut illa dicantur similia, quæ cum distinctam habeant naturam, qualitates tamen aliquas habent, quæ sunt ejusdem speciei. Quod ergo idem est in natura, non potest dici proprie simile. Paulus autem dicit de Melchisedech, quod assimilatus est per omnia filio Dei, per omnia videlicet illa quæ Paulus commemorat: quia sine patre est, & sine matre. At Spiritus Sanctus in hoc non est assimilatus Filio Dei, quia Filius Dei juxta divinitatem non est sine patre. Melchisedech autem ideo dicitur esse sine patre, & sine matre, non quod parentes non habuerit, sed quia nec patrem, nec matrem illius, umquam expressit scriptura, nec ullam illius genealogiam manifestavit: sic etiam Christus secundum inferiorem hanc & humanam sobolem patre caret. A Virgine enim Maria, & sola, secundum carnem est natus. Et secundum divinitatem matre caret, quoniam juxta illam ante omnia sæcula á solo patre genitus est. Et præterea sine genealogia Christus, quoniam genealogia ejus inenarrabilis est, prout Esaias Propheta, ait: (*cap.* 53.) *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed adhuc nobis objiciunt aliam similitudinem, quam Paulus adfert, nullo pacto posse convenire Melchisedech, si ille est purus homo, quoniam ait de eo: (*Heb.* 7.) *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Melchisedech autem si homo fuit, & natus, & mortuus est, ut cæteri. Hoc autem eodem modo dissolvitur, ut præcedens. Ideo namque dictus est Melchisedech, non habere initium dierum neque finem vitæ, quia quamvis natus, & mortuus fuerit, tamen apud nos non habet initium nec finem, quia neque illius nativitatem, neque mortem scriptura expressit. De hac re scripsit beatus Hieronymus epistolam quamdam ad Evagrium, quæ est in tertio tomo, operum ejus juxta illam partitionem, quæ habetur in secunda æditione facta Basileæ.

MENDATIUM.

De hac re unam solam reperi hæresim, quæ docet licitum esse mentiri pro vita hominis salvanda, aut pro magno beneficio homini impendendo. Nec solum hoc, sed etiam humilitatis causa, ut videlicet virtutes suas mendacio contegat. Hunc errorem docet Joannes Cassianus sub nomine abbatis Joseph. Nam collatione 17. á cap. 15. usque ad cap. 20. primam hujus erroris partem pertractat, & aliquibus scripturæ sacræ testimoniis perperam intellectis illam persuadere nititur. A cap. vero 21. usque ad 25. ejusdem collationis secundam hujus erroris partem pertinacissime tutatur. Hunc errorem apertissime sacra damnat scriptura. Nam Propheta Regius ait: (*Psalm.* 5.) *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Qui omnes dixit, noluit excludi illum qui officiose mentitur. Et in alio Psalmo iterum quærens, quis habiturus sit in Dei tabernaculo, aut requiem habiturus in monte Dei sancto, hoc est in gloria cœlesti, ipsemet respondet, dicens: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Quibus verbis aperte á Dei monte excludit illum, qui dolum agit in lingua sua. At omnis qui officiose mentitur, dolum agit. Omnis ergo ille à Dei monte excluditur: non quidem quod in illo peccato decedens non possint ad gloriam pervenire, absit: sed quia oportet illum priusquam ibidem locetur, digna satisfactione purgari: ita ut cum illuc transierit, jam sit omnino ab illo peccato alienus. Et in libro Sapientiæ (*cap.* 1.) dicitur: *Os quod mentitur, occidit animam.* Verum hoc testimonium parum urget, quoniam de solo pernitioso mendacio loqui videtur. Illud tamen est manifestissimum, quod Ecclesiasticus, (*cap.* 17.) ait: *Noli velle mentiri omne mendacium.* Qui omne genus mendacii prohibuit, nullum permisit. Pro nulla ergo re mendacium aliquod dicere licet. Et in hanc sententiam omnes sacri Doctores manibus (ut dicitur) ac pedibus eunt. Augustinus super Psalmo 5. ita ait: „ Ne quis arbitretur perfectum, & spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cujus morte non occiditur anima, sive sua, sive alterius debere mentiri, sed quoniam aliud „ est mentiri, aliud est verum occultare. Siquidem aliud „ est falsum dicere, aliud est verum tacere: ut si quis forte, vel ad istam visibilem mortem, non vult hominem „ prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere: ut neque prodat, neque mentiatur, ne „ occidat animam suam pro corpore alterius.“ Hæc Augustinus. Quæ verba omnem dubitationem tollere possunt. Nam ex ignorantia hujus distinctionis, quam nunc Augustinus ostendit, processit error Cassiani, aut Joseph abbatis. Nescierunt enim distinguere inter mentiri, & verum occultare: inter falsum dicere, & verum tacere. Primum horum numquam licet, alterum vero sine peccato fieri potest: sicut contigit Abrahæ de Sara uxore sua dicenti: *Soror mea est*: Verum quidem dixit, & verum occultavit. Verum quidem dixit sororem suam esse: quoniam sibi sanguine conjuncta erat. At omnes qui ex eodem genere sunt (ut beatus Hieronymus contra Elvidium docet) fratres in sacra scriptura dicuntur. (*Genes.* 20.) Soror ergo Abrahæ vere dicta est Sara: uxorem tamen suam esse non negavit Abraham, sed subticuit: ac proinde non est mentitus. Et hanc sententiam iterum confirmat Augustinus, alibi dicens: „ Si quis ad te confugerit, qui de mendacio tuo posit à morte liberari, „ non es mentiturus. *Os enim quod mentitur, occidit animam.* (*Sap.* 1.) Cum ergo mentiendo vita æterna amittatur, numquam pro cujuscumque vita temporali mentiendum est.“ Hæc Augustinus. Quæ verba ponuntur in volumine decretorum 22. causa, quæstione 2. Beatus Gregorius libro 18. moralium exponens illud Job: (*cap.* 27.) *Nec lingua mea meditabitur mendacium*, (*Sap.* 1.) sic ait: Summopere cavendum est omne mendacium: quamvis nonnumquam sit aliquod mendacii genus culpæ levioris, si quisquam vitam præstando, mentitur: sed quia scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam*, (*Ps.* 5.) & *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ: quamquam hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari. Hactenus Gregorius. Ex quibus verbis constat mendacium officiosum esse peccatum, quamvis leve. Verum Cassianus, aut Abbas ille, cujus nomine loquitur, non solum putavit nullum esse peccatum mendacium illud, sed peccatum esse censet, urgente magna aliqua necessitate non mentiri. Isidorus in libro synonymorum ita ait: „ Omne genus mendacii summopere fuge, nec casu, nec studio loquaris falsum: nec etiam „ ut præstes, mentiri studeas: nec qualibet fallacia vitam alicujus defendas. Cave mendacium in omnibus.“ Hæc Isidorus. Quæ verba etiam habentur in volumine decretorum loco proxime citato. Deinde mendacium, quod occasione humilitatis dicitur ad virtutes tegendas, beatus Augustinus damnat in libro de verbis Apostoli, sic inquiens: „ Cum humilitatis causa mentiris, si non „ eras peccator antequam mentireris, mentiendo, efficeris, quod vitaras; veritas autem ipsa in te non est, nisi „ si te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. „ Veritas autem ipsa est, ut quod est, dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?“ Hæc Augustinus. Sed præter hæc omnia sacræ scripturæ, & sanctorum virorum testimonia, ratio ipsa urget, ut non ita faciendum esse credamus. Id enim quod ex se malum est, nullo quamlibet bono fine præfixo, nec propter ullam aliam, quamlibet bonam circunstantiam, poterit esse bonum: quoniam (ut Divus Dionysius libro de divinis nominibus ait) bonum est ex causa integra, malum vero ex singularibus defectibus. At quod mendacium res sit ex se mala, res est tam aperta, ut non egeat ullo testimonio: quoniam pugnat cum veritate, quæ res est ex se bona. Et hoc non solum Christianis, verum etiam Ethnicis fuit notum. Nam Aristoteles 4. Ethicorum libro ait: Mendacium est ex se pravum, & fugiendum: verum autem est bonum, & laudabile. Si mendacium ex se malum est: ergo propter vitam hominis salvandam dictum, etiam malum erit. Alioqui eadem ratione bonum esset furtum, quod sub prætextu subventionis pauperum fieret: hoc tamen nullus umquam sanctorum concessit. Eadem etiam ratione esset dicendum, eos non peccasse, qui Apostolos Christi occiderunt: *quoniam sic sacientes* (ut Salvator ait (*Joann.* 16.) *arbitrantur se obsequium præstare Deo.* Multo autem melius est obsequium præstare Deo, quam hominem á corporis morte eripere. Quo fit, ut si vita hominis servata valet mendacium à culpa liberare, obsequium quod se Deo præstare credit, valeat Apostolorum occiforem á peccato eripere. Demum ut huic liti finem ponamus, aperta est de hac re Ecclesiæ definitio. Nam Innocentius Papa hujus nominis 3. Panormitano Archiepiscopo scribens, ita ait: Cum usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam fieri non videmus: quia cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne tiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. Hæc Innocentius. Quæ verba habentur in volumine epistolarum decretalium in titulo de usuris, cap. super eo. Sed superest, ut objectiones Cassiani, aut abbatis Joseph refellamus. Nam ut probet licitum esse pro magna aliqua urgente necessitate mentiri, aliqua exempla patrum veteris testamenti adfert, quos pro simili aliqua causa mentitos fuisse constat. Quibus omnibus objectionibus, simul respondemus, eos non fuisse mentitos, quoniam etsi verum occultarunt, falsum tamen non dixerunt, sicut de Abraham superius docuimus, cum dixit Saram sororem suam esse. Deinde, & si aliqui falsum dixerint, aut simulando fecerint, talem falsitatem scriptura sacra non laudat. Non enim omnia eorum gesta, quæ ibidem narrantur, propterea quod illic scripta sunt, laudantur: absit: alioqui fieret, ut aliqua illorum peccata, quæ ut homines commiserunt, essent etiam laudata. Ad hunc modum scriptura refet mendacium, quod Judith dixit Holoferni, non tamen mendacium illius laudat, sed virilem illius animum, quo inter media hostium castra pertransire non metuit, & ducem exercitus in lecto cubantem interficere, & caput ducis secum in civitatem deferre. (*Judith.* 11. & 13.) Hunc animum, hanc audaciam, hoc plus quam muliebre facinus laudat, non mendacium quo, & ducem, & illius milites decepit. Esto etiam aliqua illorum patrum dicta, aut facta sint, quæ in faciem mendacia esse appareant, & laudentur, illa (ut beatus Augustinus in libro contra mendacium docet) juxta mysterium latens accipienda sunt, non juxta litteræ corticem: quemadmodum Jacob dixit se esse Esau primogenitum Isaac: (*Genes.* 27.) quod juxta litteræ corticem verum non erat, per spiritum tamen prophetiæ qua usus est, verum dixit. Eo enim facto figuravit, & prophetavit minorem populum, videlicet gentilium, substituendum fore in locum primogeniti, videlicet populi Judæorum. Nam Jacob excusari à mendacio testatur Innocentius Papa, hujus nominis tertius in capite Gaudemus, titulo de divortiis.

Pro confirmatione alterius partis, qua docet, causa humilitatis esse mentiendum, ita ut de continentia, quam habet quis, interrogatus, dicat se non habere, cap. 21. præfatæ collationis talia adducit testimonia, quibus Christus sic ait: (*Matth.* 6.) *Non videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito.* Et iterum: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*: & rursum de iis qui palam opera sua faciunt, ait: *Amen dico vobis: receperunt mercedem suam.* His aliud respondere non possumus, quam quod beatus Augustinus in quadam homilia ait: Deum per illa verba non opus, sed intentionem prohibuisse. Prohibuit quidem inanis gloriæ appetitum, ita ut etiam

etiam si opera nostra fiat publice facta, non hac intentione fiant, ut videantur. Ipsam tamen operum manifestationem non prohibuit: alioqui sibi esset contrarius, qui alibi dixerat: (*Matth.* 5.) *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Qui ergo. de virtute quam habet, interrogatus, se habere fatetur, & propter hoc Deo gratias reddit, & illius gloriam Deo á quo accepit, tribuit: non contra illud præceptum Dei agit: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Et de hac re satis. Nec scio aliquem qui contra hunc errorem ex professo scripserit, præter unum beatum August. qui opus scripsit in quo contra omne mendacium disputat. Admoneo tamen lectorem ne occasione hujus erroris Cassianum inter hæreticos recenseat: quoniam ut in primo hujus operis lib. docuimus, fieri est possibile ut quis hæresim doceat, & hæreticus non sit censendus: quoniam non adeo pertinaciter illam tuetur, ut Ecclesiæ aliter docenti non sit paratus obedire. Forte hac & alia occasione hujus Cassiani opera inter apocrypha recensentur á Gelasio Papa in capite Sancta Romana, decimaquinta distinctione, in libro Decretorum.

MENDICITAS.

NON defuere qui mendicitatem tamquam præcipuum generis humani malum diuturnis convitiis laceraverint. Nam qui dicunt beatum populum cui adsunt divitiæ, dicent etiam miserum & infelicem populum cui illæ sic desunt, ut propter inopiam mendicare cogatur. Joannes siquidem Vvicleph cum suorum turba discipulorum docet non esse licitam mendicitatem: quapropter monachos mendicantes execratur, dicens illos debere vivere per laborem manuum & non per mendicationem. Hunc eumdem errorem hoc nostro sæculo suscitavit Lutherus, dicens mendicitatem esse ex lege prohibitam. Quapropter cum ipse monachus esset ordinis eremitarum Sancti Augustini, & ob hoc mendicaverit (nam talis ordo monachatus est unus ex quatuor mendicantibus) tamen postea à diabolo, cui adhæsit, excæcatus, monachatum rejecit, & mendicitatem damnavit, & ita tamquam canis ad vomitum reversus est. Nos autem cum Deo adjutore simus memores Franciscanæ mendicitatis, quam in nostra adolescentia vovimus, pro hujus mendicitatis assertione laboramus. Et quoniam pro religione pugnamus, confidimus in Deo quod de nostris inimicis triumphabimus: quoniam ostendemus ex sacris litteris talem mendicitatem non esse prohibitam, immo laudatam & meritoriam, ad quam Apostolos ex Christi institutione sæpe confugere oportuit pro victu habendo. Et quamvis de ipso Christo non sic legatur aut credatur, quod ipse aliquando mendicaverit, quia mulieres aliquæ probæ quæ illius doctrinam audiebant & suscipiebant, illi de facultatibus suis citra illius mendicitatem ministrabant, non tamen inde sequitur mendicitatem non esse licitam ad vitæ sustentationem. Nam multa sunt quæ certum est Christum non fecisse, quæ tamen licita sunt hominibus, ut inde vitæ suæ provideant. Numquam enim Christus calceos fecit, aut canistra ex viminibus texens fecit, aut ligna lævigavit, aut lapides polivit. Numquid ideo colligere inde licebit, nullam ex illis artibus mechanicis esse licitam? Absit. Esto ergo ut numquam Christus mendicaverit, non tamen inde sequitur, ut aliis mendicare non liceat pro vitæ sustentatione. Sed jam ostendamus mendicitarem ex Evangelio. Christus mittens discipulos suos ad prædicandum, præcepit illis omnium rerum defectum & penuriam, ut omnibus rejectis, & in solo Domino jactantes cogitatum suum, crederent se ab illo nutriendos. *Nolite* (inquit *Matth.* 10.) *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Ecce pecuniam interdictam. Verum quia pecunia seclusa poterant secum aliquid pro itinere deferre, ne hoc facerent, statim subjunxit, dicens: (*Luc.* 10.) *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Ne autem quis putaret Apostolos fuisse tunc soli fortunæ commissos, ostendit illis unde habituri essent alimenta, dicens: (*Matth.* 10.) *Digus est operarius mercede sua.* Vel ut alius Evangelista ait: *Dignus est mercenarius cibo suo.* Per quæ verba designavit illos, quibus Apostoli prædicabant, teneri ad præstandum illis alimenta. Et beatus Paulus in priore ad Corinthios epistola cap. 9. hoc expressius docet, sic dicens: Quis militat suis stipendiis umquam? *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non comedit?* Et paucis interjectis, subdit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Ecce vides Apostolos ab omni rerum possessione denudatos, qui de labore suæ prædicationis debebant victum habere. Sed fingamus auditores fuisse adeo ingratos & immisericordes, ut nullus illorum Apostolis alimenta præstiterit, nullusque illorum Apostolos ad domum suam invitaverit, nam hoc possibile est contigisse, cum constet Christum in die solemni palmarum, etiam postquam prædicasset Hierosolymis, à nemine illius oppidi fuisse invitatum, sed rediisse usque Bethaniam, ut ibidem pranderet (*Matth.* 21.) multo ergo melius hoc potuit contingere Apostolis. Quid ergo tunc facturi fuissent Apostoli? Numquid pati debebant mortem? Absit, cum possent eam evitare prodendo aliis suam egestatem. Si ergo poterant suam egestatem aliis revelare: ergo poterant mendicare; quoniam hoc ego mendicitatem appello. Sic enim definit Augustinus mendicitatem. Quid est, inquit, aliud, mendicare, nisi ad hominum misericordiam vivere, sicut vivunt Judæi, supple, sub earum gentium regibus, in quas translati sunt? Hæc Augustinus exponens versum illum Psalmistæ (*Psalm.* 108.) *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicant.* Quod si hæretici dicant illam Apostolorum petitionem non esse tunc dicendam mendicitatem, cum Apostoli tunc pererent illud quod jure illis debebatur, illis contradicit Ambrosius, qui in libello de de vinea Naboth, ita ait: ,, Audivimus vocem divitis ,, aliena quærentis, audiamus vocem pauperis propria ,, mendicantis. Non fiat (inquit) hoc à Deo, ut dem tibi ,, hæreditatem patrum meorum. ,, Hæc ambrosius. Quibus verbis expresse ait Naboth propria mendicasse. Deinde si hoc ita se haberet, oporteret ut qui in extrema necessitate constitutus eleemosynam peteret, non esset dicendus mendicare, cum petat id quod sibi jure debetur. Apostolis ergo opus erat mendicare, cum jam illis fuisset à Christo interdicta omnis pecunia. Unde Theophylactus exponens illud Lucæ cap. 10. *In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud eos sunt*, sic ait: Vide qualiter discipulos mendicare instituit, & pretio eos nutrimentum habere noluit. Hæc Theophylactus juxta translationem antiquam, qua utitur Thomas in Cathena aurea. Nam in ea traductione quam recens ædidit Oecolampadius, aliter sonat. Et suspicor Oecolampadium ex industria mutasse verba, quia ille etiam hoc eodem fuit pollutus errore, ut negaverit etiam mendicitatem esse licitam. Præterea, ut quis vere dicatur mendicare, parum refert per se an per alium petat, quoniam qualitercumque petat, mendicare di-

dicetur, sive per se petat, sive per alium, sive etiam pro se petat, sive pro alio. Et si hoc est mendicare, tunc aperte constat Paulum Apostolum mendicasse. Nam, ut patet ex priore epistola ad Corinthios, in Ecclesiis Galatiæ fiebant collectæ per unam sabbati pro sanctis qui erant in Hierusalem. Et in posteriore epistola ad Corinthios cap. 16. idem Apostolus fatetur se fecisse, & decernit se facturum collectas pro sanctis in Ecclesia Macedoniæ, & testatur se idem fecisse in Ecclesiis Corinthiorum. Rursum, Concilium Viennense quod celebratum est sub Clemente. 5. decernit modum vivendi fratrum Minorum per mendicitatem, non solum esse licitum, verumetiam meritorium. Demum ex quadragintaquinque articulis Joannis Vvicleph damnatis in Concilio Constantiensi sessione octava, vigesimusquartus sic ait: Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem. De quo articulo Concilium per hæc verba profert sententiam. Prima pars (inquit) est scandalosa, & præsumptuose asserta, pro quanto sic generaliter & indistincte loquitur. Et secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere. Hæc Concilium Constantiense. Sed opus est ut objectionibus adversariorum respondeamus. Primo enim objiciunt nobis illud quod scribitur in Deuteronomio cap. 15. *Omnino egens & mendicus non erit inter vos.* Ex quo loco inferunt non licere alicui mendicare, cum hoc (ut ajunt) fuerit á Deo prohibitum. Huic objectioni respondemus illa verba non esse prohibitoria, sed promissoria. Hoc enim Deus promittit ibi servanti suam legem, ut si videlicet Judæi legem servassent, quam Deus illis per Moysen dedit, nullus inter eos futurus esset egenus aut mendicus. Et quia Judæi legem transgressi sunt, ideo Deus non fecit cum illis juxta suum promissum. Judæis siquidem tamquam carnalibus in præmium observationis legis promisit Deus solum bona temporalia, sicut est illud: (*Esai.* 1.) *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Ita etiam promissio quædam est, cum ait: *Omnino non erit egens aut mendicus inter vos.* Nam si verba illa fuissent (ut hærerici isti dicunt) prohibitoria, peccasset Elias mendicans à vidua, & Lazarus plenus ulceribus, cujus mendicitas laudata est in Evangelio. (*Luc.* 16.)

Hoc modo respondet præfatæ objectioni Thomas Vvalden. Potest tamen aliter responderi, mea quidem sententia multo melius & magis conformiter ad sacram litteram. Fateor quidem illa verba Deuteronomii explicare prohibitionem aliquam: tamen prohibitio illa non data est pauperi, nec tunc cum paupere Deus loquebatur: sed ad divites de pauperum subventione (ut ex litteræ decursu facile colligi potest) tunc loquebatur Deus, præcipiens illis ut tantam pauperum curam haberent, ut non sinerent illos propter inopiam mendicare. Hoc autem, verba quæ postea Deus addit, aperte indicant. *Non deerunt* (inquit 3. *Reg.* 17.) *pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco præcipio tibi ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi qui tecum versatur in terra.*

Secundo objiciunt illud Psalmistæ, dicentis: (*Psalm.* 36.) *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Ex quo loco inferre volunt, illos non esse justos qui panem per mendicitatem quærunt. Cui objectioni respondemus secundum doctrinam Augustini, illa verba non esse intelligenda de pane corporali quem constat fuisse á multis justis quæsitum, quoniam (ut de aliis taceam) David quæsivit panes propositionis á sacerdote. (1. *Reg.* 21.) Sed illa verba sunt intelligenda de pane spirituali verbi Dei, quem panem numquam justis Deus denegavit, neque justum aliquem sic dereliquit, ut famem verbi Dei pateretur.

Circa panem tamen corporalem aut alias etiam res corporales sæpenumero Deus derelinquit justos, ut per similes pressuras melius valeant assequi regnum Dei. Contra hanc hæresim scribit latissime Thomas Vvalden. in primo tomo doctrinalis fidei antiquæ, libro quarto.

MERITUM.

INter alios Lutheri errores is unus est quo ait, nullum esse hominis meritum ad gloriam assequendam. Tantum enim gratiæ tribuit, ut nullum locum relinquat libero arbitrio. Cum ergo (ut ait) totum ex gratia Dei pendeat, & nullo modo cooperetur liberum arbitrium, dicit non posse aliquod hominis opus dici meritum, præsertim cum nostra opera ad gloriam æternam relata, diminuta reperiantur. Si Lutherus accipit meritum pro tali opere quod ex sua natura, & ex seipso æquale est præmio, certe illius sententia non est de errore notanda, quoniam non est aliquod opus nostrum ex se tale quod æquari possit gloriæ æternæ. Nam Apostolus ait: (*Rom.* 8.) *Non esse condignas passiones hujus sæculi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Verum non semper sic capitur meritum, ut talem æqualitatem & obligationem naturalem innuat, sed aliam æqualitatem quæ non consurgit ex natura rerum, sed ex pacto quodam: quo pacto inito, æquale erit opus, quod ante non diceretur æquale: & debitum diceretur, quod alias non diceretur. Ut gratia exempli: Si in hastiludio quodam quod forte non ultra unius horæ spatium protenditur, rex promitteret cuicumque melius vibranti hastam duobus occursibus, gemmam aliquam pretiosam jocalem valentem sex millia aureorum, tunc si Petrus aut Joannes melius cæteris rem gesserit, dicetur absque dubio quod meritus est gemmam, & quod rex est debitor illius. Tale autem debitum non est ex rei natura, quod illi debita sit gemma, sed provenit ex pacto regis, & libera illius promissione, qui promittens donare, seipsum obligavit. Ita etiam & si nostra opera ex se sint indigna gloria, & nos per illa nullum jus habere poteramus ad gloriam æternam, nec gloria umquam fuisset nobis debita, tamen quia misericors Deus promisit servanti mandata sua se daturum illi vitam æternam, post talem promissionem debet Deus dare gloriam servanti sua mandata. Quod debitum in Deo non oritur ex nostris operibus, sed ex benigna ejus voluntate, qui promittens nobis, seipsum obligare voluit. Et juxta hunc modum intelligendo rationem meriti, constat nos nihil derogare majestati divinæ, cum dicimus opera nostra esse meritoria vitæ æternæ, quia hoc modo non dicimus Deum obligari, aut esse debitorem nostris operibus, sed dicimus eum obligari ex promissione sua, & esse debitorem promissioni suæ. Quod autem ipse promiserit, simpliciter & absolute est tribuendum gratiæ. Hoc modo negare meritum est hæresis, quoniam hanc meriti rationem sæpissime sacræ litteræ ostendunt. Sapiens namque Ecclesiasticus cap. 16. ait: *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Ecce vides ibi nomen meriti satis expressum. Cur ergo Luthere tantum abhorres meriti nomen, quod Ecclesiasticus non est veritus proferre? Præterea nihil aliud designat illa Christi parabola de patrefamilias mittente operarios in suam vineam, cum quibus fecit conventionem ex denario diurno, finito vero labore, dixit paterfamilias procuratori suo: (*Matth.* 20.) *Voca operarios, & red-*